PROOEMIVM.

De recudendo rurſus & amplificando hoc opuſculo chymico-pharmaceutico, quondam in ſtudioſæ *juventutis* aliorumque philiatrorum uſum elaborato, ipſe quidem nunquam cogitavi; attamen, cum Dominus Bibliopola Berolinenſis, cujus ſumtibus iſtud prima vice typis expreſſum fuit, anno præterito, ad finem decurrente ſemeſtri æſtivo, de adornanda nova editione ejus meditaretur, ac mihi propoſitum ſuum per litteras declararet, ſimulque humaniter a me peteret, ut contenta hujus libri, antequam prelo iterum ſubjiceretur, curatius denuo perluſtrarem, & addenda nova ſcituque neceſſaria adde-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0009-6 DFG

rem, honesto desiderio ejus refragari nolui, sed illi, quantum mihi per alia negotia licuit, satisfacere annisus sum. Nonnulla igitur emendavi, ac multa præparata & composita chymica ac pharmaceutica, quæ intra aliquot lustra vel primum clarius innotuerunt, vel majorem celebritatem usumque frequentiorem adepta sunt, vel mihi tamen ob varias rationes alias, quas hoc loco singulatim exponere supersedeo, aliqua pariter descriptione digna videbantur, passim inserui. Spero igitur, Lectores gnaros atque benevolos opellam hanc favente iterum animo excepturos, & sincera conamina mea æquo judicio suo promoturos esse. Dab. Trajecti Francorum ad Viadrum, die xx. Aprilis MDCCLXX.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-146875-p0010-7
DFG